# CLARISSIMORVM VIRORVM,

# ANTONII ET VIDI LOISELLORVM,

# PATRIS, AC FILII.

# VITÆ.






PARISIIS,

M. DC. XLIII.

# ADMONITIO.


OMISSVM est in Antonii vitâ quod sequitur, ideóque hîc annotandum id esse duximus.

*EXTRAIT du Procés verbal de la Coustume de Paris du 2. Février* 1580.

ET pour l'Estat de Noblesse, sont comparus Me Antoine Matarel Procureur general de la Reyne Mere du Roy, Comtesse de Clermont, & d'Auuergne, Duchesse de Valois, & d'Orleans, Comtesse de Melun, & Dame de Saint Maur des Fossés, assisté de Me ANTOINE LOISEL Aduocat en la Cour de Parlement, & de ladite Dame.

Cæterùm, etsi Antonium hunc nostrum alij OISELLVM, alij aliter appellarint, nos tamen in isto libello LOISELLVM perpetuò scripsimus. Arbitrati enim sumus LOISELLI verbum propiùs ad nomen Gallicum & Gentile, LOISEL, quàm quoduis aliud accedere. Hæc te monitum voluimus, amice Lector, & valere.

*Antonii Loiselli, in Senatu Parisiensi Aduocati vita.* pag. 3.
*Vidi Loiselli, Senatoris Parisiensis vita.* pag. 12



# DE ANTONIO LOISELLO DIVERSORVM TESTIMONIA.



IACOBVS CVIACIVS *Iul. Pauli receptarum Sentent. lib.* I. *in Tit.*17.*de Seruitut* Assentior & ANTONIO LOISELO Adolescenti acutissimo, qui in Ausonii versu de Myronis bucula,

*Ageret iuuencas cùm domum Pastor suas,*
*Suam relinquens, me mouebat, vt suam,*

mihi indicauit legēdū esse, *minabat vt suā.*

*Iterum* CVIACIVS *in Præfatione libri singularis Consultationum.* In eâ Consultatione quam meis pro exemplo singulari illius ætatis acceptam ab ANTONIO OISELO viro omni eruditione & virtute præstanti, præfigendam esse duxi.

Idem CVIACIVS *passim in operibus.*

ODETTVS TVRNEBVS *in libello qui dicitur* LA PVCE DE POITIERS.

Oserois-ie suiure les pas
DE LOYSEL honneur de nostre âge?

STEPH. *quoque* PASCHASIVS, CLAVDIVS BINETVS, & NICOLAVS RAPINVS, *ibidem.*

PETRVS & FRANCISCVS PITHOEI *sparsim in operibus.*

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS *in libris historiarum, & de vitâ sua, cuius testimonia præcipua referuntur in vita quæ sequitur.*

A. MORNACIVS *in libello qui dicitur, Feriæ forenses, siue Elogia illustrium Togatorum Galliæ ab Ann.* 1500.

ANT. OYSELLIVS Bellouacensis in Senatu Patronus Anno 1617. Mens. Apr

ANTONIVM OYSELLIVM CVIACIVS
Sæpe monumentis laudat haud metuentibus
Libitinam. at edidit ille victuras diu
Tabulas, quibus decorauit & gentē, & forum,
Octogenarioque major occidit
Inter nitentes liberorum purpuras,
Viridi senectâ, semper & celebris foro,
Musis amicus, comitate & optimâ.
Quæ vita in humanis alia beatior?

IOSIAS MERCERVS *in Petri Pithœi vitâ.* Itaque itum ad Pithœum, veteremque eius amicum, & studiorum omnium cōmunione coniunctissimum ANTONIVM OYSELLVM, quorum hæc vtriusque laus, quòd tā facilè tantæ turbæ cōsiluerunt.

SCÆVOLA SAMMARTHANVS *in elogio eiusdem P. Pithœi.* His te simul & OISELLVM TVVM, doctissimum quoque virum legationis comites addiderit.



# ANTONII LOISELLI IN SENATV Parisiensi Aduocati Vita.

ANTONIVS Loisellus Bellouacus, natus est Anno 1536, Mense Februario. Patrem habuit Ioannem Loisellum, cuius Maiores si vellem hîc commemorare, frustrà facerem, cum præcipuos illorum, in Commentariis quos de Prouinciâ Bellouacẽsi scripsit, ipse recensuerit. Verùm haud omittendum arbitror, auctorẽ Chronici, quod vulgò scandalosum nuncupatur,

Memoires de Beauuaisis.

meminisse cuiusdã,quẽ vernaculâ linguâ nominat *Loisel de Balagny Capitaine de Beauuais*, & collocat inter primarię Nobilitatis viros, atque hastatorũ Equitum Du-
Roye. ctores, qui Roïam anno 1472. aduersus Burgundionum Ducem pro Rege tutandam susceperant. Mater ipsi fuit Catharina d'Auuergne filia Nicolai d'Auuergne Domini d'Autheuil.

Is igitur duodecim Filiorũ,quorum in domo Patris natu minimus erat, statim à primis annis,ingenio, cæterisque animi dotibus longè præstãtissimus, ad Collegiũ Prelæũ Lutetiam missus est, vbi post emensum breui literarum humaniorum stadium, cum Petro Ramo magni nominis Philosopho ac Præceptore suo, tam arctâ familiaritate conjunctus est, vt ipsius testamenti exsecutionem posteà meruerit. Demùm Prudentiæ Ciuili destinatus, Tholosam profectus, præcellentis in jure viri Iacobi Cujacii discipulus factus est, & illum exinde Tholosâ Biturigas abeuntem sequutus, tantùm in eâ scientiâ profecit; vt passim in suis Commentariis Cuiacius ipse, multa se feliciter edoctum a Loisello, non

ſine honorificis elogiis fatcatur.

Poſtremò in Senatu Pariſienſi factus Aduocatus, primas cauſas egit adeò feliciter, vt breui doctiſſimi viri famã conſequutus ſit, præſertim apud Baptiſtam Meniliũ in Senatu Regiũ Aduocatũ, qui præcipuè propter eximias, quas in ipſo nouerat animi dotes, Mariam Gulaſiam ſororis filiam, quam domi veluti Natam atque heredem perpetuò educauerat, illi nuptui collocauit. Marie Goulas.

Quæ quidem honeſta affinitas Antonij virtutibus non mediocri ſubſidio fuit; quippe Vicariatûs Regiæ cognitionis munere, quod venale nondum erat, commendatione Menilii ſuſceptò, maxima, quæ pendent ab illo, negotia tractauit, in quo tàm celebre nomen adeptus eſt, vt cùm regnãte Henrico III. *in Flexianâ collatione conueniſſet, vt delegati ex Senatu Pariſienſi in Aquitaniam mitterentur qui jus aßidue in Prouinciâ dicerent, loco bipartitæ claßis, in quâ propter animorum contentiones ob Religionis dißidium illis locis acriores, diuiſis plerumque ſententijs, Partes vltrà modum vexabantur*, atque anno 1581, cum Petro Seguiero Præſide, Charge de ſubſtitut au Parquet. Thuanus lib. 2. de vità ſuà.

Lazarus Cocqueleius, Ioãnẽs Thumerius, Claudius Puteanus, Michaël Huraltus Hoſpitalius, I. Aug. Thuanus, aliique Senatores delegati eſſent, ipſe lectus ſit qui cum viro amiciſſimo Petro Pithœo in eâ claſſe Cognitore Regio, Aduocati fiſci munere fungeretur, de quibus idem Thuanus teſtimonium egregium his verbis adducit. *Antonius Loiſellus vir antiqui moris & ſingulari eruditione præditus, Aduocati fiſci, Petrus Pithœus vel ſolo nomine ſatis notus, Cognitoris Regij munere fungebatur, par nobile non amicorum, ac veluti fratrum tantùm, ſed in conſilijs pro Republicâ capiendis, egregie conſentientium collegarum biga inſignis, quibus amicis familiariſsimè vtebatur Thuanus.* E ſermonibus quos ibi publicè tunc habuit editæ ſunt Admonitiones octo, ſub *Aquitaniæ* nomine, in quibus nitidam eloquentiam cum ſummâ eruditione conjunctam videre facile eſt.

M. Pithou.

Thuan. ibi.

La Guyéne de M. Antoine Loiſel.

Ea deinde res ad ampliorẽ honorem eum euexit; Nam cùm Lutetia Pariſiorum perditorum hominũ factionibus vexata, atque horrenda belli ciuilis, ac diuturnæ obſidionis mala paſſa, tãdẽq; miſeriarũ ſuarum pertæſa, Regi ſuo inuictiſſi-

ſmo Henrico IV, I. Lullerio Mercatorũ Præfecto primùm reluctante, demùm impulſu atque hortatu Loïſelli conſentiente ſe dedidiſſet, & ad 28. Apr. An. 1594. Cancellarius in Senatũ veniſſet, magno Ducum ac Franciꝗ Parium, Conſiſtorialium Aſſéſſorum, & libellorum ſupplicum Magiſtrorum comitatu, atq; edictum Regis nomine de reductâ in eius fidem atque obedientiam vrbe, Senatuqne ibidem reſtituto promulgaſſet, poſtulante Cognitore Regio, cuius partes ſuſtinebat tunc idem Pithœus, iubente Senatu verba pro eo fecit Loiſellus, & poſtulauit Senatuſconſulto decerni; Deo publicam Gratiarum Actionem, per generalem Supplicationẽ, in Æde Cathedrali Diuæ Mariæ ad 22. Martis quotannis renouari, eo quo nunc etiam obſeruatur, more. Extat adhuc in eam rem illius oratio Patriæ amantiſſimum, ac iuxtà generoſum animum ſpirans.

M. Luillier Preuoſt des Marchands.

Thuanus Hiſtor. l. 109.

Ad eiuſmodi functiones honorificas, antequã eſſent venalia Vicariatùs Regiæ Cognitionis Officia, prꝗclari Aduocati promouebãtur. Sed poſteà, cùm per edi-

ctum regiū ea munera vænire cæperunt, Loiſellus cum ſuo Petro Pithœó, ex eo ordine recedere maluit, quàm cum nouorum officiorum emptoribus verſari, quamquam ipſis eorum diplomata regia publicani gratis offerrent, quo beneficio viros optimæ famæ ſibi conciliare, eoque modo fucum Populo facere ſperabant. Quâ animi conſtantiâ, quanta fuerit iſtorum virorum virtus ac probitas, conjici facilè poteſt, qui lucrum etiam aduentitium; & inopinatum, ob id ſolum faſtidierint, ne inter primos emptores ſua nomina recenſerentur.

Munus igitur venale cùm Loiſellus abnuiſſet, ad priſtinum Conſeſſum, & Conſultorum Aduocatorum Solium ſe recepit, vbi complures Amicos comparauit, gratuitum multis officium præſtans, & ſummâ cum honeſtate cunctis inſeruiens. Quo viuendi more tàm integram famam apud bonos adeptus eſt, vt magnus ille, de quo ſupra Thuanus, eum, ſæpiùs ſemper otium ſenectutis inuiſentem, palàm complexus, apertè pronunciaret

nunciaret, Loisellum vnum in terris superesse, qui, corruptis rebus, Vir alicuius pretii, ac valoris esse, sibi videretur.

Iam sexagenarius, cùm alioquin per omnem vitam Deum sedulò coluisset, plus seriò de morte cogitare cœpit, ac rerum forensium curam penitùs abiecit, nisi fortè ad Amicos, aut Inopes rursum consilio, vel alio modo quandoque subleuandos intenderet. Studiis autem honestissimis, in quibus *primas*, vt ait idem Thuanus, iamdudũ *ferebat*, ac præsertim sacris, se totum dedidit, inter quæ, Historiæ Bellouacensi illustrandæ, vt *Gratus in Patriam*, quemadmodum & ipse referebat, *superstesque viueret*, operã dedit, cuius Cõmentaria expleuit anno 1617, Ætatis suæ 81; Cæteras quoque Lucubrationes, veluti Gallici Iuris Regulas; Admonitiones quas in Aquitaniâ habuerat; suauissimos de Parisiensibus Aduocatis Dialogos, qui nondum in lucem editi sunt; Cationiana item Disticha; Senilia quædam, atque alia Pietatis Christianæ Car-

Lib. 1. de vitâ suâ A. 1574.

mina factitabat, aut recensebat; Psalmos quoq; Dauidicos, quotidiè multos, summâ cum alacritate, legebat; eoque modo vixit, læto semper atque alacri animo, sano vegetoque corpore, vltrà Annum Ætatis 81, ad Aprilis autem 28 Ann. 1617, quo post quinque Hebdomadarum morbum, ex Pulmonis æstu, medius inter Filios, ac Nepotes, quos, post benedictionem suam illis impartitam, ad Timorem Dei, mutuam Charitatem, Innocentiam vitæ, veramque Pietatem cohortatus animum ad vsque finem sanum, semper in Christo meditantem, in eoque spem omnem collocantem Deo reddidit, Vir verè Abraham, *Prudens vt Serpens, simplex vt Columba.* Filios habuit Antonium, quem illius ætatis anno 40, & magni nominis tunc vtique Senatorem, eo vno, vt ita dicam, per vitam infortunio concussus, amisit. Superstites reliquit, vnicum Vuidum, de quo posteà. Filias autem quatuor lectissimas fœminas, Catharinam Vxorem Guillelmi Monualetij,

in classe rationum Ærarij Regij, Correctoris; Mariam, Guillelmi Iolij ad Conestabilis & Mareschallorum Franciæ Marmoreum Parisiensis Palatii Tribunal Præfecti; Valentinam Guillelmi Marescotii Libellorum supplicum Magistri, & Claudiam in Monasterio Vuariuillæ in Bellouacis Deo dicatam.

Lieutenant general de la Connestablie.



# VVIDI LOISELLI SENATORIS PARISIENSIS VITA.



NTONIO Loisello, & Mariâ Gulasia, de quibus suprà dictum est, Natus est Vuidus Loisellus Lutetiæ Parisiorum 1. die Anni 1571, cuius quidem prima felicitas extitit, quòd Sacro Baptismo initiatus, Patrinos habuerit, Viros præcellentis famæ, Vuidum Fabrum Pibraccium, & Augustum Thuanum, tùnc in Senatu Regios Aduocatos.

Deinde, cùm à tenerioribus Annis ad Collegium Burgundionum missus esset, adeò breui profecit, vt ante 14 Ætatis Annum, vniuersum studiorum spatium confecerit, plus tamen ex optimi Patris ore lusitando discens, quàm ex vllorum Præcep-

torum induſtriâ, vel lectionẽ librorum. Itaque vix Pubes factus, Iuriſprudentiæ diſcendæ cùm Antonio fratre Majore profectus eſt Biturigas ad I. Cujacium Ant. Patris, vt dictum eſt, in eâ ſcientiâ quondam Præceptorem, & etiamtùm amiciſſimum; Vbi per triennium ferè commoratus, non eo, quo nunc, more, nempe diſputando; ſed leges ipſas memoriter diſcendo, per ſpecies exponendo, cùm literis humanioribus, & hiſtoriâ Romanâ coniungendo; Iuris Conſultiſſimus euaſit.

Hoc loco notandam duxi, quamquam in re fortaſſe leui, non vulgarem Vuidi induſtriam; quippe qui per id tempus, horis à ſeueriori diſciplinâ ſuccisiuis, ſolus abſque Magiſtro Cytharam ritè pulſare didicerit, inſtrumentum muſicum, ſi quod vllum eſt, tangi difficillimum. Vo Luth.]

Hinc egreſſus, tametſi Pariſienſis Eccleſiæ Canonicatum ab Arnulpho Menilio, Matris Auunculo conceſſum, & Prioratum vulgò de Cathedrâ nunçupatum, poſſideret, in Senatu Prioré de la Chaize.

Parisiensi factus Aduocatus, successu felicissimo causas egit: Rebus enim agendis natum in otio delitescere, nullique prodesse, multorum Ecclesiasticorum more, pudebat.

Verumtamen cùm eo tempore bellis Ciuilibus & factionibus perditorum hominum, qui sub sacræ vnionis Titulo, & Catholicæ Religionis tutandæ prætextu, reuerà contra Dei Præceptum generoso Principi, ac Regi inuictissimo Henrico I V. debitam regni successionem ad Hispanos, Francici sanguinis ac nominis antiquos hostes, transferre coniurauerant, omnia sacra, profana, sus deque verterentur, & ipsa Lutetia, Vrbium Regina, nefariæ Libidini seditiosorum hominum iam seruire coacta, Regis obsidionem pateretur, Vuidus ne forte Patri, qui cũ cęteris ciuib⁹ à parte Regis ſtãtib⁹, etiã necessariis rebus egebat, & iã ex argẽteâ supellectile victitabat, diutiùs oneri esset, eo animo fuit, vt cum paucissimis nummis, domo atque Vrbe egressus, Comite quodam equite Patris Amico, qui ad Regem commigra-

bat, Deo ſolo confiſus fortunam temporis experiri ſtatuerit, ac vitæ ſuæ ſubſidium tempeſtiuum inquirere; vbi iuuante Io. Gulaſio Auunculo, ad Quæſturam Ærarii publici primario delegato, ideoq; apud aulicos nõ mediocriter pollenti, paululùm pecuniæ ex Prioratu de Cathedrâ, quo nobilis quidam vicinus Beneficio Belli atque Armorum vi fruebatur, accepit, quâ veluti Mannâ fauore cæleſti miſſâ, Menſibus aliquot per incommoda tempora ſuſtentatus eſt, donec ſedatis huiuſmodi ſeditionibus atque turbis reſtitutâque Regi Lutetiâ, domum remigrauit. Premier Commis de l'Eſpargne.

Ibi repentinæ Pacis bono fruens ad iucundum otium Literarum conuerſus, multas horas quotidie literis humanioribus,& hiſtoriis impendebat, & vt ſeceſſum aut cum doctis colloquia potiſſimum requirunt illi qui Muſas diligunt, quodã die verno qui ſuauiter illuceſcebat ad peripateticã deambulationẽ cũ I.Bruſſellio poſteà Senatore, & H. Chouarto viris amicis, ac literatis, iuxtâ muros Carthuſianorũ pro-

gressus, duos milites offēdit paupercu-
læ Mulieri fabas ac legumina quæ col-
legerat, per vim auferre conātes; quam
iniuriam, cū generosus animus diutiùs
tolerare nequiret, Mulierculā tutari ag-
gressus, fortiter in eorum alterum in-
siliit, eique ensem ademit, quo se mu-
lieremque aduersus scelestos inuaso-
res diù protexit, donec gladium præ
fulgore solis rutilantem, quidam per
planum venatores à longè conspicati,
duellum rati, celeriter aduolarunt, &
causâ cognitâ oblatum ensem a Loi-
sello cum magno virtutis tantæ præ-
conio fugatis procul nebulonibus re-
ceperunt.

Amiens. Per hæc ex improuiso Samarobrinâ
Ambianorum ab Hispanis interceptâ,
tanta consternatio, quasi redintegrari
ciuilia bella cœpissent, bonos omnes
inuasit, vt omninò de totius Reipubli-
cæ salute desperandum plerique cen-
serent; Quod tamen malum maximo
Valdi bono deinde cessit, nam Sena-
torum Parisiensium munera per infe-
licitatem temporis adeò viluerunt,
vt vix ipsorum emptores inuenirentur.

Quâ

Quâ occaſionē Antonius Pater de Senatorio munere Eccleſiaſtico, propinquis & amicis animum eius multùm vacillãtem ad id impellentibus, ij. Iulii Ann. 1597. pro Vido pactus eſt: Pretium fuit octo millia librarũ, hac ætate non mediocre diſpendium. Is igitur diplomate Regio Senator nuncupatus, trãſactis tantùm ſeptē hebdomadibus, 30. nēpe Septembris, Protopræſidis Harlæi, Loiſelli Patris amiciſſimi, haud vulgari illis temporibus gratiâ, ( nam ſæpè per plures annos plerique tunc ambiebant ) admiſſus eſt, & in tertiâ claſſe fungendo muneri locum accepit. Ibi notandum videtur, quòd cùm eo tempore Senatores ſolemni Sacramento ſe obſtringere conſueſcerent ſua ſe munera pretio conuento non comparaſſe, Loiſellus contrà negotii veritatem peierare noluerit; quod omnibus magnoperè placuit. Nam illicò ſtatutum eſt, vt id iuſiurandum à nemine in poſterùm exigeretur.

Ad Annum 1603, cum Renato Potiero Epiſcopo Bellouacenſi, qui Loiſelli familiam omnem valdè diligebat ac in primis Vidum, cui etiam Canonicatũ

Bellouacensis Ecclesiæ contulerat, profectus est in Italiam; cuius itineris non pauca patrio sermone scriptis annotauit, digna certè quæ prodirent in lucem, & publici iuris fierent.

Exinde cùm Lutetiam reuersus esset, ipsius virtus magis ac magis innotuit, atque adeò inclaruit, vt cum Præceptor optimo Regi Ludouico XIII. tunc Delphino quæreretur, Vidus postulatus sit, qui munus istud obiret. Verùm ab illo, tametsi magnoperè sibi honorificum esse duceret, excusauit, tùm quòd vereretur non liberum sibi fore quibus vellet moribus, & institutis Principem adolescentem informare, tùm quia vitam aulicam non libenter viueret.

M. du Maine. Montauban. Ad Annum 1621, cùm accepto nuncio deplorandæ mortis generosissimi Principis Meduanæ Ducis ad Montalbanum cæsi, seditiosi homines magnâ frequentiâ concitati quosdam è Sectatoribus nouæ Religionis crudeliter necassēt; Loisellus, vt ipsis effugium patefaceret, eorumque saluti isto modo consuleret, Claustri B. Mariæ, in quo habitabat, & cuius Dux vrbanus erat, portas omnes

obſerari iuſſit præter illam quæ ad Sequanam iuxtà Terrenum aggerẽ reſpicit, quà miſeri homines, furore cõmotæ plebis eluſo, cymbis aduecti recipiebantur; & ità non paucos à crudelitate ſeditioſorum vindicauit; in eo, quidquid obiectent maleuoli, S. Martinum imitatus, qui referente Sulpitio Seuero Priſcillianiſtarum capite damnatorum cædem mœrens, *primò Maximum Imperatorem, vt ab infelicium ſanguine abſtineret, orauit, mox etiam Ithacium & alios Epiſcopos increpauit, vt ab accuſatione deſiſterent, quamquam illi viro planè Apoſtolis conferendo infamiam hæreſis palàm etiam obiectarent.* Non minùs igitur Loiſellus omnem in Religione vim auerſabatur, atque idem facile ſentiebat quod Firmianus, qui diuinarum inſtit. l. 5. eleganter ſcribit. *Longè diuerſa ſunt Carnificina, & Pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniungi; & ideò defendenda Religio eſt, non occidendo, ſed moriendo; non ſæuitiâ, ſed patientiâ; non ſcelere, ſed fide; Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum; & neceſſe eſt bonum in Religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo Religionem defen-*

Le Terrain.

*dere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur. Nihil est enim tàm voluntarium, quàm Religio, in quâ si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est.*

Intereà Loisellus in munere Senatorio ità perpetuò versabatur, vt ipsum Relatorem, non tantùm Religio, iudicandi vis, & inquirendi Sagacitas, facultas denique explicandi negotii, sed etiam facillima Comitas, quâ quemlibet admittebat, & audiebat, præoptandum omnibus faceret.

Ab Anno verò 1617, quo cum Patribus maioris, quam vocant, Cameræ, suo ordine consessum habere cœpit, in puplicis negotiis ritè tractandis, ac salubriter constituendis adeò prudentem, ac generosum vbique se præstitit, vt si quid inopinati, vel aduersi contingeret, ad ipsum oculos plerique Collegæ conuerterent; ab eo præsertim tempore, quo Cardinalis Richelius, rerum clauum tenens, sub optimi Regis nomine atque auctoritate Senatum lacessere cœpit, eiusque vim ac robur paulatim adeò concussit, vt consiliis, quibus ille tandem occupauit vniuersum Imperium, nus-

quam obsistere valuerit.

His igitur de causis Loisellus, quâ flagrabat in Patriam, ac Senatum charitate, cum amicis calamitatem sæculi, & imminentem tempestatem frequenter deplorabat, & in Richelium non modò tamquàm in hominem sceleratum, sed etiam qui mentis parùm compos erat, paulò liberiùs quàm tempora ferebant, inuehebatur. Quid enim iniquius, aiebat, quàm nouis quotidiè vectigalibus & exactionibus populum expilare? Regis Matrem, cui omnia debebat, vnicum quoque Fratrem non tantùm ex aulâ, sed etiam è Regno secretis artibus eiecisse? Principes ac Magnates omnes inuisos Regi facere? Quoslibet absque vllâ iudiciali formulâ perpetuis carceribus includere? Alios delectis & affectatis iudicibus condemnandos tradere? Singulis Senatoribus, de rebus quæ proponerentur sententiæ dicendæ libertatem eripere, si quid mussitarent, interdicere, relegare, proscribere? Quid autem insanius, quàm hominem priuatum Imperia perpetua meditari? Vnumquemque velle sibi cum tremore subiici? Periculosa quæque, non præ-

uisis euentibus aggredi? Fastu plusquàm regio viuere? Dùmque vniuersa plebs egestate confecta tabesceret, in rebus non modò inutilibus, sed etiam Ecclesiastico viro prorsus indignis, veluti comædiis, atque conuiuiis, impensas immoderatas facere?

Eiusmodi multa Loisellus Richelio iam tùm imputabat: & quamuis bellum Hispanicum, atque alia quæ sequentibus vndecim annis confecta sunt, morte præuentus non viderit, ea nihilominùs omnia, quâ fuit animi sagacitate, prædixit. Ex præcedentibus enim aiebat facilè coniici posse, Richelium regnandi causâ, nihil non moliturum, nec ideò dubitaturum pro viribus vbicumque bellum accendere, cunctos qui contra se niterentur quoquo modo opprimere, ipsi Regi, si quandoque obsisteret, Sceptrum eripere, omnia denique diuina, humanaque iura confundere; Richelium quippe, dum dominetur, ad omnia paratum esse. Quibus conficiendis, si dolis, si versutiâ, si fraudibus opus fuerit, vix vllum reperiri posse, qui norit audaciùs impo-

nere, vafriùs simulare, subtiliùs denique Circulatorem agere. Nimirùm id ipsum erat, quod Clemens VIII. Pōtifex Maximus iam tùm augurabatur cùm de Richelio adhùc Adolescente legitimam ætatem, vt citiùs Presbyter fieret, mentito, & posteà, quò tenerioris conscientiæ videretur, veniam periurii postulante, vernaculo sermone palàm hæc verba pronunciauit *Questò Giouane sarà vn gran Fourbo.* Ioüeur de Gobelets.

Hæc & huiusmodi plura Loisellus de Richelio sentiebat, & ominabatur. Necnon ipsius occasione quandoque reuocabat in memoriam, atque etiam approbabat, quod notat Rob. Gaguinus in vitâ Caroli VI, sic inquiens. *Erat Cardinalis quidā Romanus Ambianensis appellatus, qui Author fuerat augendi Census & Tributi: & seuerè aliquando Carolū, dum adhuc viueret Pater, tractabat. Quā rem tunc recordatus Carolus ad Sauosium qui propè adstabat, Ecce jam, inquit, Sauosi, de hoc Sacerdote liberi erimus. Quo verbo territus Ambianensis confestim per Duacum Auinionem se recepit, exportato ingenti Thesauro, quem sibi ex Publico contraxerat. Il-*

*lud ſiquidem nonnumquam compertum eſt inter Francos plus damni in Rempublicam inuehi dum Sacerdotis conſilio res agitur, quàm cùm prudens aliquis ex ſeculi nobilitate, rebus gerendis præficitur. Ille enim neſcio quâ inſatiabili ambitione omnia ſibi vindicat, hic Populi miſertus, & communitatis detrimentum ſuum eſſe ratus, Reipublicæ benè, vt poteſt, conſulit. Ille faſtum & pompam ex dignitate metiens, eò audaciùs diuitias congerit, quò minùs vltionem timet Eccleſiaſticâ libertate protectus. Hic autem opes ſuas cum Republicâ coniunctas eſſe non ignarus, ex publico incommodo priuatum quoque auguratur. Nam qui res ſuas ex Reipublicæ ſtatu conſiderat, illas ſine hâc nequaquam ſtare poſſe intelligit.*

Cæterùm Loiſellus à probis viris eò libentiùs audiebatur, quò magis abſque priuato vllo odio, vel liuore, ſed ex abundantiâ cordis optimi, publiciſque malis afflicti loqui cenſebatur. Et id quidem veriſſimum erat. Cùm enim benè velle Loiſello Richelius aliquando teſtatus eſſet, Loiſellus contrà benè velle Richelio, ſi ſaluâ Republicâ licuiſſet, & tenebatur, & vehementer optabat.

optabat. Huius autem mutuæ beneuolentiæ occaſio ſic contigerat. Vacauerat in familiâ Loiſelli munus quoddam exiguum cuius diploma pendebat ab Alexandro Vindocino magno Franciæ Priore, qui tunc in Vicennarum caſtro detinebatur, & ad quem abſque Richelii conſenſu nullus admittebatur. Quapropter Dux Bellogardius qui Loiſello pro ſororis filio munus iſtud ambienti ſuam operam pollicitus erat, à Richelio conueniendi Vindocini copiam poſtulauit. Richelius autem ſtatim audito nomine Loiſelli quem ad ſuas partes trahere valdè cupiebat, negotium agendum ipſe ſuſcepit, & miſſis ad Vindocinum commendatitiis literis feliciter ac breui confecit. Loiſellus igitur, vt accepti abſque ambitu beneficii quas debebat gratias ageret, Richelium conuenit. Quâ occaſione Richelius eum tantâ humanitate deliniuit, quantâ nec tùm Principes excipiebat; Se dolere inquiens munus, iſtud adeò modicum eſſe, verùm in omnibus aliis rebus maioris momenti, ipſi quem plurimi faciebat, & cuius beneuolen-

M. de Vandoſme grand Prieur de France.

M. de Bellegarde.

D

tiam modis omnibus exoptabat, inseruire paratum esse. Deinde discedenti, extrà cubiculum ad superiores vsque gradus comes fuit, & Equitem exinde, qui ipsum ad vsque currum extra limen Palatii deduceret, accersiuit.

Cùm igitur occupati Principatùs initio Richelius, bellum Rupellensibus denunciare statuisset, ne si diutiùs starent, multi qui sibi aduersabantur, apud illos perfugium haberent, huic consilio adiutando vndique conquisiuit, ac negotiis præfecit quos nouæ Religionis hostes acerrimos esse iudicabat, atque inprimis Michaelem Marillaccum, quem ideò Procancellarium fecit. Is ad Annum 1589. etiamtùm Senator, comes & stipator adfuerat Bussio loricato, qui cum Baptistâ Machaldo, & Bastono, maiorem Senatus, quam vocant, Cameram ingressus, Patres deliberationem iam cœptam persequentes, cum Achille Harlæo, deplorando prorsus spectaculo, vilis homo, nihil loci Religionem in quo pedibus ipsorum aduolutus mercenario Procuratoris officio defungi consueuerat, reueritus, in custodiam

Thuanus Hist.l 94. Qui tamē Guillelmum pro Michaele scripsit.

rapuit. Quapropter Loisellus dele-ctum istum Marillacci non mediocriter improbabat, nec minùs se mirari aiebat Richelii temeritatem, qui rebus iudiciariis præficere, ac Principalem Magistratum assignare non vereretur hominem, quem historia publica supremæ iustitiæ Templum ac Ministros audaciâ non tolerandâ violasse prodidisset; ideóque, quamuis maioris Cameræ Patres solerent nouos Procancellarios salutandi atque gratulandi causâ visitare, Loisellus istud officium Marillacco tunc exhibere noluit, ne fortè non gratus esset homini, à cuius ingenio ac moribus non parùm discrepare se sentiebat.

Richelius igitur Marillacco ad suscepti negotii prosperiorem euentum ministro comparato, specie belli, vt videbatur, sacri, perpetuò mandabat pecunias vndique colligi, & ne populus id ægrè ferret, post deuictos Rupellanos ætatem auream sperari iubebat. Loisellus autem, qui longè cernebat acutius, & ad ipsius intima

iampridem penetrarat, euersâ Rupellâ, ( quod sine dubio breui fore pronunciabat, quandoquidem Richelius ad id accelerandum nihil omitteret, nec vllius Saluti, Vitæ, Facultatibus denique parceret, ) multò calamitosiora tempora volebat expectari.

Rupellensibus itaque debellatis, ne non succedere videretur quod Richelius pollicitus erat, quasi primùm emendandis abusibus qui iampridem irrepserant, opus esset intendere, Marillaccus Constitutiones nouas condidit, quarum promulgatio Senatui multotiès iniuncta est. Verùm ex pluribus vna præcipuè valdè periculosa videbatur, quâ statutum erat, vt qui deinceps læsæ Maiestatis accusati essent, viris ad Regis libitum delectis, iudicandi traderentur. Id à Richelio Marillaccus iussum acceperat, vt qui sibi aduersarentur, ab electis affectatisque iudicibus iure vel iniuria faciliùs condemnarentur. Verumtamen quamuis ista Constitutio in

primis explosa esset, & improbata, non abstinuerunt assignati judices a condemnando quodam, nuncupato Castrino, quem suspendi, simul & accusationis instrumenta comburi iusserunt, Michaële à Campis libellorum supplicum Magistro relatore; qui cum paucis post diebus in Senatum venisset, & in criminali causâ contrà ordinem, Patrumque votum adesse, ac sententiam ferre, audaciùs vrgeret, à Loisello conticescere atque abire monitus est; nam si reluctaretur, ac de Castrino, quem plectendum curauerat, rationem reddere iuberetur, vix fortasse posse. Ille contrà se sui facti sponsores perquàm optimos habere, neque vllum pertimescere respondit. Sed iterum Loisellus obstitit prædictis addens, ne pergeret adstantium animos exulcerare, nam si Senatusconsulto propter eumdem Castrinum carceri mandaretur, quos fautores sibi fore tantoperè sperabat, ipsum non exindè facilè liberaturos. Coactus igitur ille secedere, confestim ad Marillaccum conquestum abiit, à quo responsum accepit, si ab

alio quopiam contumeliam istam passus esset, non impunè ei fore, sed quoniam à Loisello Senatore famâ non minùs quàm iustitiâ & probitate celebri, vindictæ locum non superesse.

Ad Annum 1630, quatuor Senatorum, ac duorum Libellorum supplicum Magistrorum muneribus Edicto regio creatis, idque promulgare Senatu iusso, Loisellus officiorum, ac præcipuè nouorum multitudinem iampridem odio habens, eamque populo non parùm incommodam reputans, nullomodò admittendum esse censebat; ideoq; à frequente Senatu pariter sentiente repudiatùm est. Sed quoniam Richelius negotium istud in primis vrgebat, rursus paulò pòst eiusdem publicationi Senatus iussus est intendere. Quandoquidem autem Loisellum, cuius auctoritatem in Senatu non mediocrem esse nouerat, fortiter aduersaturum præuideret, illâ machinâ, quæ constantissimos etiam expugnare consueuit, hoc est, opum & honorum oblatione, experiri decreuit, an ille

flecti, vel saltem molliri posset; ideò-que A. Ruzæum Effiati Marchionem Francix Marefchallum, & Supremum Thesauris Regijs Præpositum ad ipsum delegauit, quem Ruzæus, quasi tantùm honoris causa conuenire voluisset, sermonibus variis, & ad Rempublicam nihil pertinentibus, vtrimque primùm habitis, tandem ex abrupto compellare cæpit, ac dicere; se penitùs ignorare, qualis esset ille, cuius naturæ, vel ingenii, qui, quandoquidem omnes ad se, Richeliumque respicerent, benefactores expectarent, eaque de causa frequenter adirent, vnus ipse quasi fastidiret, numquam inuiseret, & nihil postularet; Magnoperè Richelium desiderare multis illum beneficiis cohonestare, si pati vellet; audacter itaque prononciaret, quid optaret, & offerri cuperet; nam omninò se, Richeliumqne votis illius obsecundare paratos esse. Hoc affatu Loisellus non parùm obstupefactus, aliquantulùm hæsit. Cùm tamen quid Ruzæus vellet, satis intelligeret, eâ viuacitate ingenii quâ pollebat, Surintendant des Finances.

ſtatim & opporttunè reſpondit, ſe maximas ipſi gratias tot beneficiorum oolatorum & habere, & agere, verumtamen, quoniam ſcire vellet quid in votis haberet, eiuſmodi ſe virum eſſe, qui totã vitã lectulo paterno, eodemq; laneo, necnon togâ vndulatâ, hoc eſt, ex cymatili confecta, (vtrumque autem digito demonſtrabat) valdé contentus egiſſet; ideoque ſe non opus habere, vel ipſi, vel Richelio importunum fieri. Quo dicterio tàm conciſo, tamque mordaci perculſus ex improuiſo Ruzæus vltrà nihil auſus effari, confeſtim ſalute datâ, receptaque diſceſſit. Itaque iſtius quoque edicti promulgationi fortiter obſtitit, & quoniam ius illud pecuniam annuam ſoluendi munerum ſeruandorum cauſa, quod Poletta vocatur, tunc temporis expirauerat, & Patribus, ſi vellent Edicti promulgationi conſentire, reſtituendum grati pro mittebatur, Loiſellus ſententiam ferendo; magnoperé ſe mirari ait ſæculi impudentiam, quo qui rebus præerant, (deſignabat autem Aulicos ac præcipué Richelium) quoſdam è Senatoribus

natoribus auro beneficiisque sibi priuatim deuinxisse non contenti, Senatum etiam vniuersum impudentiâ non tolerandâ palàm corrumpere præsumerent. Nam jus istud annuum Senatui gratis oblatum Edicto promulgando, jdem esse ac si pecunia numerata suppeditaretur, quâ cunctorum opiniones emerentur. Proinde cùm Quidam pro debito Muneris huic Promulgationi non obstitisset, imò tergiuersando propemodùm consensisset, Loisellus ipsi Palatio egredienti fortuitò obuiàm factus, adstantibus Cognitore atque altero Aduocato Regiis Viris integerrimis, suam vecordiam verbis acrioribus obiectauit, quæ tamen ille ne dicto quidem vllo repercutere ausus est; de cuius stupore atque silentio qui sequebantur Regij Proceres vix risum cohibere poterant.

Sectatoribus nouæ Religionis [illegible]ninò confectis, cùm Richelius Procancellarium Marillaccum non modò sibi jam inutilem esse, verùm etiam foràs a Regis Arcanis ejiciendi se, Cōsilium cepisse deprehendisset, Magi-

ſtratu Procancellariatùs ſpoliatũ conjecit in carcerem. Ipſius quoque Fratrem Franciæ Mareſchallum, eiuſdem Conſilii participem, violatæ Prouinciæ Verdunenſis quã moderandã ſuſceperat, Peculatus, atque Repetundarum accuſauit, ipſique condemnando Conſtitutionum quas paulò antè Procancellarius frater ſcripſerat, auctoritate, Iudices electos delegauit. Is autem, vt capiti periculum imminens auerteret, Senatus opem implorabat, ipſius eſſe dicens de Mareſchallorum Franciæ criminibus cognoſcere. Libellũ itaque ſupplicem huic offerre decreuit quo peteret accuſationis cognitionẽ eò transferri, ac delegatis Iudicibus interdici. Qui vellet autem ipſius eſſe Relator, præter Loiſellum, neminem videbat. Verebatur tamen ne propter iſtud, quod diximus, opinionum, morúmque diſcrimen, ab officio ſibi præſtando, paulò eſſet alienior; Sed cum Eumdem non minùs ſtrenuum, quàm omnibus, ac præſertim oppreſſis, beneficientem pro comperto haberet, adeumdum omninò deliberauit. Itaque

per vxorẽm ei Libellum suum obtulit, quem Loisellus in Senatum se relaturum & amanter pollicitus est, & generosè retulit. Quamuis autem omnes boni Loisellum humanitatis suæ collaudarẽt, erãt tamen qui mirabantur, quòd ad protectionem hominis, cuius Fratrem propter istã ingenij dissensionem, haud valdè diligebat, adeò libenter intenderet. Sed ad id ille respondebat, Marillaccum Procancellarium Animi quidem impatientis & turbulenti semper extitisse; Marillaccum quoque Mareschallum ab eâ, quâ vexabatur, accusatione se non planè innoxium existimare. Facillimè enim se credere, Pecunias Regias & dilapidasse, & damna non pauca quæ fieri à cæteris Ducibus haud insueta sunt, intulisse, sed quæ fortasse supplicium extremũ non mererentur. Se autem apertè cognoscere, Richelium datis Iudicibus extraordinariis in vltimam ipsius perniciem per fas & nefas obtentu criminum obiectorum coniurasse. Quapropter optimum sibi videri, vt Procancellarius tandem apertis oculis agnosceret, ab vno Sena-

tu quem toties agitauerat, ſalutem Fratris expectandam eſſe; ibique Iuſtitiam aliquam, ſi quæ ſit adhuc in terris, ſupereſſe. Ipſi porrò Senatui præclarum ornamentum fore, cùm acceptarum iniuriarum immemor, in cauſâ non admodùm iniquâ, ſubleuando viro violenter oppreſſo, atque afflicto, ſuã auctoritatem interponere non recuſarit. Cęterùm ſe credere Procancellario miſſum eſſe cælitùs iſtud infortunium, quod ſi æquo conſtantique ferret animo, delictorum ſuorum expiationi non parùm profuturum eſſe.

Intereà cùm Rumor ortus eſſet, quamquam vanus, Loiſellum conditionis temporis pertæſum de munere Senatorio vendendo deliberaſſe, nec id vllomodo placeret Collegis, qui ipſius animum atque Conſilia, præſertim eo ſtatu Rerum, valdè neceſſaria iudicabant, mentem illius ab eâ ſententiâ diuertere Protopræſes Iaïus à Patribus maioris Cameræ rogatus eſt.

M. le Iay premier Preſident.

Permanſit igitur Loiſellus in officio ſuo conſtans ac ſtrenuus, ad exitum Anni 1631. quo Richelius præ-

textu puniendorum adulteratæ monetæ fabricatorum, quibus Senatum paulò nimis indulgentiorem esse causabatur, Iudicum classem è diuersis Subselliis electorum instituerat, qui Iurisdictionem suam in arce, quæ vulgò dicitur Arsenale, excercerent. Factum est igitur vt ipsorum iudicio quidam, exemplo prorsus insolito, noctu suspensus fuerit; quo ad Senatum relato, Loisellus paulò acriùs in supplicium istud inuectus; omnibus huiusce classis Iudicibus officio suo interdici censuit, & libellorum supplicum Magistros qui classi præerant in Senatum per apparitorem accersiri, quò rationem facti sui redderent; ad quam sententiam Senatoribus tribus aut quatuor accedentibus, rursus extrà ordinem Loisellus addidit; necesse sibi videri, quoniam inutiliter omnia Senatusconsulta cederent, & nomine Regis quotidiè aliquid publicam in perniciem excogitaretur, vtque palàm fieret nouitates istas Senatui valdè displicere, simul & flagitiorum suorum aliquandò puderet inuentores, Sena-

tuſconſultum quod interueniret, publicè per vrbẽ promulgari: cui talia dicẽti Protopręſes (qui, quamquam egregiis alioqui animi dotibus conſpicuus eſſet, ac Loiſello non malè vellet, Richelio tamen, quia per ipſum munus Protopræſidis adeptus erat, nullibi non adhęrebat,) obſtitit, ne quid ille ſententiæ ſuæ quam iam tulerat, adderet, ac cæteros interpellaret. Quâ de causâ, Loiſellns, ne paulò pertinacior eſſe videretur, conticuit, nec quod indignatione iuſtâ ac generosâ commotus addiderat, vrgere fruſtrà voluit. Verumtamen in primam ipſius ſententiam omnibus penè deſcendentibus, à Senatu rogatus eſt deliberationem ſcriptis exponere. Conſtitutum illud eſt ad 28 Nouembris Anni 1631.

Eo tempore Rex profectus erat ad Theodorici Caſtrum; vbi Richelius accepto Senatuſconſulti, ſimul & ſententiæ Loiſelli nuncio, vehementer incitatus, cùm neque beneficentiâ, neque promiſſis vllis, eum ad ſuas partes adducere valuiſſet, ſibique perpetuò obſiſtentem cerneret, opprimendum, vel ſaltem exagitandum eſſe cre-

Chasteau Thierry

didit; ideòque in primis odiosum Regi conatus est facere, quasi ipsius Maiestatem in Senatu labefactare quotidiè niteretur. Vnde Rex aliquatenùs commotus, illustrissimo Principe Duce Longauillæ præsente, qui Loisellum iampridem diligebat, & magnificiebat, de Senatu colloquutus ait; Fuisse sibi relatum in maiori Camerâ Loisellum vnum è Patribus esse, qui sibi suæque auctoritati quotidiè obsisteret: Id sibi valdè displicere; quapropter, si persisteret, se collocaturum illum eo loco, in quo sponsorem ac fideiussorem illius facilè se præstaret. Quibus auditis Longauillanus, vltrò nec rogatus, summâ animi constantiâ Regi testatus est, Loisellum sibi charissimum esse, cui si male vellet, Maiestatem illius orare, vt sibi liceret eum extrà Lutetiam alicubi apud se seruare atque habere. Longauillano denuò Rex ait nondum eò se deuenisse, vt aduersus Loisellum aliquid atrocius statueret, moneri tamen velle vt in posterùm caueret, & abstineret.

Monsieur de Longueuille.

Monsieur de Longueuille.

Hæc autem Longauillani genero-

ſitas ; qui coràm Rege Loiſellum ſibi valdè cordi eſſe , tempore tàm periculoſo profeſſus eſt,non tantùm ex antiquâ, & quaſi domeſticâ, quâ proſequebatur illum , beneuolentiâ , ſed etiam ex optimâ virtutum ipſius exiſtimatione,& peculiari quâdam veneratione prodibat. Nam a 15 plùs minúſue Annis Loiſellus ipſius negotia non tantùm tractauerat , ſed etiam in rebus intimis & maximè ſecretis, ipſi perpetuò ſuis Conſiliis adfuerat.Et hæc quidem Loiſellus libētiſſimè faciebat,non ob id ſolū quod Maximi Principis negotiis præeſſe ,ſibi valdè honorificum eſſe duceret ſed, etiam quia Pater Antonius Mariæ Borboniæ Auiæ Longauillani plurimo tempore Aduocatus fuerat, & ab ipsà non minus honoratus, quàm dilectus. Verùm cum priſcis Regni Conſtitutionibus vetitum ſit, ſupremos Magiſtratus ſtipendiis vllis , Principibus obnoxios fieri, Loiſellus , ne non ſeruatarum Conſtitutionum argueretur, nullam vmquàm à Longauillano Penſionem accipere voluit ; ſed gratui-

eum officium ipsi semper adeò præstitit, vt Longauillanus non quasi domesticum, aut sibi obnoxium, sed veluti Amicum Eum haberet, quemadmodum istâ fidelitate satis demonstrauit.

Reuersus Lutetiam Longauillanus Loisellum illicò conuenit, cui verba Regis ità prudenter aperuit, vt Eum suæ salutis vtiliter moneret, nec tamen mœrore conficeret. Eâdem quoque humanitate, quà Regi pro ipso loquutus erat, si quid acerbius contingeret, secessum obtulit apud se quocumque vellet, atque etiam ad Nouocastrum in Heluetiis, quibus vbique locis, ipsum omnibus modis haberi suauissimè curaret. Multis itaque Longauillano gratiis actis, Loisellus non modò beneficium oblatum, si quid eueniret, acceptauit, sed etiam eum orauit, vt tantâ se beneuolentiâ perpetuò cõplecti vellet. De Richelio autem affirmauit; Se, nec odio, nec inuidiâ vllâ malè vnquàm Ei uoluisse; quin imò Cõmendationis ad Vandomiũ ab ipso factæ de quâ dictũ est, num-

Neufchâstel en Suisse.

quàm immemorem fuisse, & futurum semper obnoxium. Itaque si res postularet, Officium illi reddere, sibi gratissimum fore. Richelium ipsum id non nescire, quandoquidem se Relatorem ingentis controuersiæ, quam habebat aduersus D. Ducem Guisium, postulasset. Ideóque cùm in Senatu de Negotiis publicis sententiam dixisset, ità semper colloquutum esse, vt perpetuò de Rege cum eâ, quâ debebat, reuerentiâ; de Richelio verò nihil vnquàm nominatim protulisse nemo nesciret. Denique quod bonum æquúmque iudicasset, ingenuè quidem, sed absque vllo felle, vel stomacho semper aperuisse. Ab hac autem consuetudine liberè sentiendi quam ex officio suo credebat, nec per Richelium, nec per vllum alium prohiberi posse. Quicquid inde Senatus constitueret, aut quorsum res euaderent, non inquirere. Suam enim Conscientiam in tuto sentire, sibi satis esse.

Postridiè qui fuit primus Decembris, cum vno aut altero Amicis, de tē-

poris infelicitate pluribus conqueſtus, ſe quotidiè Lictorem præſtolari aiebat, qui ad D. Antonij Arcem, vulgò Baſtilliam, deduceret; vnde fortaſſe non alium exitum habiturus eſſet, quàm D. Vandomius Magnus Franciæ Prior anteà ſortitus erat. Verùm quicquid immanius in ſe Richelius moliretur, ad omnia paratum eſſe, etiamſi vel mori contingeret. Nam eo ſtatu Rerum, quem quotidiè peiorem fieri præuidebat, vitam haud valdè ſibi iucundam fore. Se ſatis igitur ſuperque vixiſſe, modò Deum miſericordem ac propitium experiretur.

A Meridie apud R. Pidoſium Senatorem de prolixâ lite cuius erat Relator, colloquuto, ad dolorem cordis, vitæque faſtidium, diuturni ſermonis motus acceſſit. Vnde domum reuerſus febri continuâ cum æſtu pulmonis, paterno morbo, quotidiè augeſcente vexatus, viginti dies decubuit, per quos Sacramentis omnibus admodùm humiliter ac piè perceptis, Pſalmiſque Dauidicis frequenter re- M. Pidoux Conſeiller.

citatis, ſano ſemper animo, ac mentē in Deum intentâ, ſuis adſtantibus, ad 20um. Decembris eiuſdem Anni 1631, Ætatis autem ferè 60um. Vir generoſiſſimus Animam efflauit.

Confeſtìm tantus dolor Bonorum omnium qui virum nouerant, Animos inuaſit, vt illius Mors, publica pernicies aliquatenùs credita ſit. Rex ipſe naturali Beneuolentiâ quâ viris optimis ſemper fauit, quamuis Loiſellum, ſi diutiùs vixiſſet, Primum é Senatoribus qui ad Metim paulò poſt conuocati ſunt, interdictum iri fateretur, nihilominùs ipſius vicem ſe dolere dixit, cum nuper accepiſſet, illum totâ vitâ non modò Iudicē integerrimum, ſed etiam virum egregiè probum egiſſe. Longauillanus autem ipſius mortem adeò defleuit, vt palàm protulerit ſibi videri Patris iacturam eâ morte feciſſe. Richeliusquoque dolorē ſuū epiſtolâ quâdã teſtatus eſt, aut potiùs ſimulauit. Quibuſdam enim aliquando Loiſelli virtutes coràm ipſo tollentibus, in hæc verba prorupit, *Sit Diuus, modò non ſit viuus.* Vniuerſitas verò Pariſienſis

publico præconio quod typis excuſum eſt, declamante Io. Tarino in æde ſacrâ Mathurinorum ei parentauit, priſcæ controuerſiæ de Prato, quod vulgò vocant Clericorum, per ipſum vindicato, memor, & quaſi pro Patrono Loiſellum denique laudarunt diuerſis Elogiis multi, quorum vnus Vir egregiè doctus condigno vocabulo *Romanorum vltimum* eum appellauit. Pré aux Clercs.

Per omnem vitam literis optimis addictiſſimus fuit, præſertim humanioribus, & hiſtoricis, e quibus ſententias atque alia quæ ad vitæ cultum, morumque inſtitutionem pertinent, accuraté notata memoriter didicerat. Senior verò Scripturis Sacris, & Chriſtianis Auctoribus ità delectatus eſt, vt nullum aliud ſolamen in vita ſibi ſupereſſe diceret; Quod vt commodiùs, & abſque impedimento perciperet, ſimul atque vacabat à negotiis, ad Solitudinem ruris ſecedebat. In primis autem D. Eraſmi ac L. Viuis opera quæ ad pietatem inſtituunt diligebat; non quòd ipſorum, ac præſertim Eraſmi doctrinam ab Eccleſiâ non

receptam amplecteretur, sed quia sentire se aiebat in illo cũ mellitâ quadam ratione dicendi, suauissimam quoque Pietatem, Cœlestemque Philosophiã ex literis sacris depromptã, quæ longè latéque in corde diffusa sibi valde solatio esset, & quam alibi facile non offenderet. Quapropter Ipsius *Manes*, cum I. A Thuano, ità *Venerabatur*, vt Erasmi Pietatem peculiaris & occulti cuiusdam Thesauri loco sibi haberet atque reputaret.

Lib. 5. de vita.

In Senatu siue Lites referret, siue Suffragium daret, multa paucis complectebatur, ita tamen, vt non minùs dilucidus quàm disertus esset, & nihil omitteret, *Quæ quidem Breuitas*, ait Tullius, *non modò Senatoris, sed etiam Oratoris magna Laus est in sententiâ.* In quotidianis quoque Sermonibus eâdem vtebatur eloquentiâ, quam sæpe condiebat salibus adeò lepidis, dicteriisque, tàm opportunis, vt ad risum immodicum aliquotiès adstantes excitaret; quamquàm & in illis facetiis nonnihil graue & quod prodesse poterat, semper afferret. De rebus autem seriis

Lib. 3. de Legibus cap. 18.

ità differebat, vt in illius dictis, quemadmodum in moribus, pateret esse verissimum quod ait Psalmista. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Ps. 36.

Politicam Administrationem eam maximè commendabat, quâ curabatur vt potiùs floreret Imperiũ, quàm vt dilataretur, sæpiùs ad id repetens *Spartam quam nactus es orna.* Nam victoriarũ gloriã, atque amplificatæ Ditionis vtilitatem, sæpe nihil aliud esse dicebat, quàm merũ fucum, atque Phantasma, quod Principum Ministri, qui sibi solent immensas opes ex bellis, & calamitate publica congerere, fascinandis hominum mentibus obtendunt. Quis enim Triumphorum honos, aiebat, esse potest, vbi plurimus vtrimque sanguis effunditur? Quæ vtilitas prolatorum Imperii limitum, quos adquirendo destruas, & pro quibus comparandis atque tutandis, dominiũ antiquum omnibus modis afflixeris? Itaque iuxtà Sententiam Alcadæ Regis Babylonii *Vanum esse ducebat multis* Sleid. lib. 3
*fatigari laboribus, & varijs implicari curis* de 4. Im-
pre

*amplificandi Regni causâ; quandoquidem ea res ad nullam hominum salutem, & Vtilitatem, sed ad detrimentum potiùs, atque seruitutem Populi pertineret.*

De Diuitiis sæpiùs in ore habebat illud Horatii *Sulstitiam patiuntur opes.* ideóque Cæleste Philosophum in terris degentem ore vehementi proclamasse, *Væ vobis Diuitibus.* Quâ stultitiâ ne forte ipse laboraret, sapienter cauit. Nam etsi pluribus bonis quàm vmquam optasset aut sperasset, iisque ad 15. aut 18 millia Librarum quotannis accedentibus, ditatus fuisset, numquàm tamen inde se magis efferre, vel primis impensis majores addere cogitauit, sed in æquâ mediocritate perpetuò stetit, nec lautus nimiùm, nec nimiùm parcus.

l. 1. Ep. ad Lollium.

Luc. cap. 6.

Eâ autem moderatione fecerat, vt non tantùm in Munere gerendo ex visendis Litibus emolumentum, quod Species vocant, valdé modicum acciperet, sed etiam succedentem vltrò fortunam aliquandò respueret, & in omni necessitate opportunè liberalis esset. Nam Ecclesiastica Beneficia gra-

Espices.

tis oblata non semel fastidiuit, & ex iis quæ possidebat, quorum annuus reditus erat octò ferè millium librarum, Incolas inopes vel frumento sustentabat, vel ipsorum Beneficiorum restaurationem fieri iubebat. Quod etiamnùnc patet in Prioratu Sancti Saluatoris de Fraxino Diœcesis Bellouacensis, cuius Templum à pluribus annis dirutum, summâ ferè triginta sex millium Librarum ad id impensâ, reparari curauit. Quibus de causis eiusdem pagi Incolæ pro ipsius salute dum lethali morbo laborabat, supplicationibus publicis magnâ frequentiâ Deum deprecabantur. Prioré de Fresnoy.

Ipsorum autem Beneficiorū hodiernū abusum quantùm ad ipsorū prouētus pertinet, tàm iniquo animo ferebat, vt ea bona, si starēt in Imperio Turcarū, solâ vi ac regulâ politicæ ordinationis sæpiùs ad meliores vsus iri conuersa diceret, quàm nunc fit apud plerosq; Christianos; tametsi vtiliter ac prudēter

Antonium Patrem mirum est quantis obsequiis per omnem ætatem adiutarit, quæ tamen illi præstitit non tam ex officio suo, cui numquàm defuit, quàm ex ingenti charitate, quâ prosequutus est illum & viuentem, & mortuum. Nam quoties ipsius virtutes enarrare cæperat, nec conticescere, nec præ gaudio, vel desiderio lachrymas erumpentes cohibere poterat. Illum denique Sanctis Cælitibus adscribere & annumerare solitus erat.

Breuiter de V. Loisello sentiendũ ac prædicandum videtur quod de L. Pi-
Hist. lib. 2. sone Paterculus scripsit; *Fuisse mores eius vigore atque lenitate mixtissimos, & vix Quemquam reperiri potuisse qui aut otium* ( Scipionicum dico, non torpens ac veternosum ) *validiùs diligeret, aut faciliùs sufficeret negotio, & magis quæ agenda erant curaret, sine vllâ ostentatione agendi.*

Corpus habuit altâ gracilique staturâ, eâdemque agili, & expeditâ. Per omnem autem Ætatem ità sanus fuit, vt in lethali morbo doloribus auctis diceret, agnoscere se verè

numquàm priùs ægrotaſſe; quod opi-
nandum eſt, ex ſobrietate victûs in-
genti, & excercitio corporis aſſiduo,
illi contigiſſe. Vultum gerebat non
modò liberalem, atque decorum, ſed
qui morum honeſtatem, & comitatem
incredibilem præ ſe ferret, reuerendum
quoque, & qui quodammodò virtu-
tem ipſam in fronte pictam exprime-
bat, præſertim in ſenectute. Hunc in
aduerſis eo pacto componebat, vt ſem-
per æquus eſſe, nec triſtior inde vide-
retur; hilarior autem ſæpiſſimè, tâm
ex virtutis occultæ conſcientiâ, quàm
ex ſummâ, quâ fruebatur, animi tran-
quillitate. Voce loquebatur argutâ,
nitidâ, ac diſtinctâ; eoque modo cun-
cta proferebat, talique artificio com-
ponebat, vt ſuauitatem quamdam oc-
cultam in cordibus audientium exci-
taret. Hoc tamen Corpus adeò fortu-
natum atque Animi melioris hoſpitium
quod Lutetiæ in maiori vrbis Templo
conquieſcit, ſepulchro plumbeo pro-
hibuit includi, & vtique ligneum op-

insignis, hæc verba tantùm inscribi voluit. VIDVS LOISELLVS HIC RESVRRECTIONEM EXPECTAT, cuius Anima requiescat in pace.


---

# ERRATA.

PAg. 10. lin. 11. pro *impartitam* lege *impertitam*. p. 12. l. 11. pro *Augustum* lege *Augustinum*. p. 23. l. 3. pro *Clemens VIII.* lege potius *Paulus V.* eadem p. l. 11. pro *Fourbo* scribe *Fûrbo*. p. 35. l. 2. pro *in Senatum* lege *in Senatu*. p. 43. l. 6. pro *Vandomius* lege *Vindocinus*. pag. 45. l. 12. pro *humanoribus* lege *humanioribus*. vbique *Vidum* scribe per vuicum V.



# IN OBITVM VVIDI LOISELLI SENATORIS CLARISSIMI ET INTEGERRIMI.



*Nſolitis, Hoſpes, quæris cur nubilus Æther*
*Imbribus, atratos ducat in Orbe dies;*
*Cur inuoluatur tenebroſis triſtior vmbris*
*Nunc Phæbe, noctes duplicet atque ſuas;*
*Funeſto cur ſit velata Eccleſia cultu,*
*Triſtis & in lachrymis angulus*

*Cur gerat in mœsto plorans Academia vultu*
*Signa, quibus vero corda dolore tument;*
*Interno cur sit pressus mœrore Senatus,*
*Et pateat magnâ publicus vrbe dolor.*
*Occubuit Genius Themydis Loisellius, ipsa*
*Iuridicæ erepta est gloria clara togæ:*
*Qui sanctâ pietate sibi deuinxit Olympum,*
*Et verâ prudens simplicitate Pios:*
*Sublime ingenium cuius, vigor igneus, atque*
*Tutata est miseros lingua diserta reos.*
*Desine mœstitiæ, & tenebrarum*

*quærere cauſas:*
*Non micat extinctâ luce ſere-*
*na dies.*

I. IACOBVS VEILLART
Succentor, & Canonicus Ec-
cleſiæ Pariſienſis, ſcribebat
Ann. 1631.

" Frid: Brummerus Commentarium ad
" Legem Cinciam scripsit; Juvenis magnæ
" spei, sed cum in Gallia peregrinaretur,
" infelici fato aquis submersus. Editus
" ille est Parisiis, ac Joh. Bapt. Colberto

